

natione rerum fidei. Neque ex hoc destruitur unitas fidei; tum, quia non minor unitas fidei fuit in primitiva Ecclesia quam modo, et tamen tunc potestas apostolica quæ est suprema in regimine Ecclesiæ (dicente Paulo ad Corinthios XII: *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, deinde prophetas*, in quibus verbis denotatur auctoritatem apostolicam primam esse in Ecclesia) fuit in duodecim hominibus, et non in uno solo, licet unus fuerit ordinarius pastor Ecclesiæ (ut Paulus dicebat ad se attinere sollicitudinem omnium Ecclesiarum II ad Corinthios XI), ergo neque pariter unitas fidei si eadem potestas apostolica in successoribus continuaretur, et non solum in successore Petri; tum, etiam, quia si plures primates haberent supremam auctoritatem in proponendis rebus fidei, semper id ipsum dicerent, et consequenter maneret eadem fides, licet a pluribus determinaretur: sicut etiam in Concilio generali eadem fides determinatur, et docetur, licet plures sint qui ad illud conveniant, ergo ex unitate fidei non sufficienter probatur unitas capituli Ecclesiæ. Et denique confirmatur ex illo difficili loco apud Concilium Nicænum, ubi canone VI, sic dicitur: «In Ægypto, Libya, et Pentapoli Alexandrinus episcopus omnem habebat potestatem, quia Romano quoque episcopo hæc consuetudo est.» Ergo æqualis potestas tribuitur Alexandro episcopo quoad illas provincias, ac episcopo Romano, et sic non repugnat apud plures esse supremam potestatem in Ecclesia.

XXX. Respondetur negando minorem. Ad primam probationem dicitur, non solum Ecclesiæ unitatem requirere unum supremum caput absolute, et in omni genere prout comprehendit omnes status Ecclesiæ sive in terris, sive in cælis, sed

etiam unum supremum caput in statu visibili, et in regimine visibili hujus vitæ (quia Ecclesia est unum corpus visibile) si quidem etiam regimen quod Ecclesia habet pro isto statu ad unitatem reducit, quia habet unam legem, unam fidem, eadem sacramenta et ritus, unde Apostolus probat esse unum corpus quia: *Uno pane, et uno calice participamus*. Si ergo forma regiminis una fuit, oportuit ad hanc servandum unitatem unum esse principatum, seu sacerdotium visibile, nec per plures supremas potestates inter se independentes gubernari, ut ostensum est, pontifex enim in Ecclesia militanti ita est vicarius Christi Domini, quod in genere gubernationis visibilis est suprema potestas: sicut reges in temporalibus sunt vicarii Dei, ita tamen quod sunt etiam supremi in genere temporalis gubernationis, unde in his non tenet similitudo in argumento allata, de uno rege in regno habente plures vicarios, seu proreges in diversis provinciis inter se independentes, quia illi proreges non ponuntur ad constituendam unitatem gubernationis, et principatus visibilis; hæc enim in ipso rege constituitur: sed ut ministri, seu officiales minus principales intra idem regnum. Pontifex autem ponitur in Ecclesia ut vicarius Christi Domini tamquam caput constitutum visibilis principatus christiani, et sacerdotii Ecclesiæ; unde cum Ecclesia sit visibilis respublica, remoto pontifice non remanet caput aliud quod visibile, sed solum invisibile, quod est Christus, unde non servaretur unitas principatus visibilis, licet servatur unitas in alio superiori genere, sicut si non esset rex non servaretur unitas in genere temporalis regiminis, licet maneret unitas in genere regiminis Dei super totum universum.

XXXI. Ad secundam probationem respondetur constare ex dictis disparitatem rationis inter regimen politicum, temporale, et ecclesiasticum: nam in temporalibus non est unitas principatus, nec una lex pro omnibus regnis, et ideo non est mirum quod per diversos reges gubernetur: in spiritualibus autem habemus unam fidem, unum sacerdotium, eosdem ritus, legem, et sacramenta, et sic oportet etiam unum habere caput, et principem totius hujus regiminis. Ad id vero quod additur impugnando rationem reductam ex unitate fidei, respondetur in primitiva Ecclesia fuisse auctoritatem apostolicam in pluribus quasi extraordinarie, et delegare propter necessitatem fundandi Ecclesiam tunc in toto mundo, cum respectu tamen, et ordine ad unum caput, quod pasceret omnes oves Ecclesiæ, et propterea apostolica auctoritas ordinario modo, et ut pertinebat ad regimen Ecclesiæ etiam tunc fuit in uno, ut supra probatum est: extraordinario tamen modo non est inconveniens fuisse in pluribus propter necessitatem illius temporis, nempe foundationis Ecclesiæ, qua remota mansit potestas apostolica solum in uno capite. Et sicut etiam in prophetis, et scriptoribus canonicæ Scripturæ fuit auctoritas tradendi res fidei quasi fundando illam, qui tamen fuerunt plures, hoc ideo est, quia auctoritas fundandi fidem, aut prophetandi, etc. respicit unitatem fidei quatenus solum tenet se ex parte Dei revelantis, aut dictantis ex qua parte semper est una, licet sint multi per quos loquatur: ita auctoritas determinandi dubia fidei, et confirmandi in illa respicit tollere divisionem, et schismata ex parte nostri ad quod requiritur ut id ipsum dicamus omnes, quod fieri non potest nisi illi qui infallibiliter dubia fidei determinat, omnes subdantur.

Quod autem id possit convenire Concilio generali jam explicatum est, convenire Concilio non absolute, sed dependenter ab uno capite congregante Concilium, et confirmante quæ in eo fiunt.

XXXII. Ad confirmationem respondetur illum canonem Nicæni Concilii aliquibus Græcis ansam præbuisse ut existimarent Romanam Ecclesiam a Nicæno Concilio primatus sui privilegia accepisse, cum tamen de jure divino illi esse collata constet, ut infra ostendimus et late docet Nicolaus papa I, in epistola ad Michaelem imperatorem. Occasio autem deceptionis forsitan inde emanavit, quod canon iste sextus mutilus circumfertur communiter inter viginti vulgatos canones Concilii Nicæni: plures autem canones editos fuisse usque ad numerum LXXX, vel LXX constat; tum, ex epistola Athanasii ad Marcum papam, si tamen ejus est illa epistola, quam quidem multi probant, etsi Baronius et Bellarminus ejus esse negent; tum, ex epistola II Julii papæ ad orientales in causa Athanasii, et fortassis hæretici Ariani tempore adhuc Athanasii Nicæni Concilii exemplaria, aut combusserunt, aut corruperunt, et cum octoginta canones, qui ad numerum septuaginta redacti sunt in ipso Concilio editi fuerint, ut testatur ipse Athanasius epistola citata ad Marcum papam, et ex rescripto ejusdem Marci papæ ad Athanasium constat, viginti tantum vulgariter circumferebantur, quos videntur Ariani non potuisse, aut non curasse suppressere. Inter hos autem viginti canones sextus ille qui de primatu Romani episcopi loquitur non integre recitatur communiter; nam in Concilio Chalcedonensi act. XVI, aliter recitatus est hic idem canon a Paschano legato sedis apostolicæ quam a Græcis: «Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum: teneat

autem, et Ægyptus, ut episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem, quoniam, et Romano episcopo hæc consuetudo est. » Græci autem omiserunt illam primam clausulam, ex qua tamen primatum Romani episcopi semper fuisse in Ecclesia, nec ab ipsa Nicæna Synodo institutum clarissime constat. Citantur etiam a Julio papa in epistola supra dicta multi canones Nicænae Synodi, in quibus primatus Romanæ Ecclesiæ non solum supra vicinos episcopos, ut male interpretatus est Ruffinus, sed supra omnes episcopos asseritur, dum ad ipsum omnium causæ episcoporum deferuntur, et appellatur universalis Ecclesiæ episcopus. Quod vero in illo canone sexto Alexandrinus episcopus decernitur omnium per Ægyptum habere potestatem, sicut Romano episcopo consuetudo est, non in primatu, aut suprema potestate cum Romano parificatur, sed determinatur in quas Ecclesias Alexandrinus episcopus habeat patriarchalem potestatem, scilicet in omnes Ecclesias Ægypti: hæc enim causa tunc tractabatur in Concilio contra Meletium quemdam, nempe quænam Ecclesiæ deberent subesse episcopo Alexandrino. Et ita sententia lata est pro ipso ut in omnes Ecclesias Ægypti ejus extenderetur patriarchatus, quoniam ea est consuetudo Romani episcopi, ut scilicet habeat potestatem patriarchatus super Ecclesias, ubi comparatio fit quantum ad hoc præcise quod est habere jus patriarchatus firmum, et certum, non quoad modum habendi illum, scilicet quoad universalitatem potestatis super omnes Ecclesias.

XXXIII. Scio aliam interpretationem adhibere Bellarminum, et Baronium, scilicet sensum illius canonis esse episcopo Romano hunc esse morem, quod ex ejus indulgentia Alexandrinus episcopus Eccle-

sias illas regat. Sed quidquid sit de hac explicatione, nostra quam adhibemus satis videtur indicata a Nicolao I epistola VIII, ubi loquens de Nicæna Synodo sic ait: « Si instituta Nicænae Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto quod Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, sed potius ex ejus forma quid Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter sumpsit exemplum. » Intelligitur ergo canon Nicænus de parificatione Alexandrinæ Ecclesiæ cum Romana quantum ad formam, et jus patriarchatus, quod habeat sibi Ecclesias subjectas sicut Romana, differenti tamen modo, cum una universalis sit, alia particularis Ecclesia. Videatur reverendissimus Massiliensis, II part. monarchiæ ecclesiasticæ, libr. IV, cap. II, page 308.

XXXIV. Quarto denique arguitur quasi auctoritate negativæ: Nam Apostolus enumerans omnes partes Ecclesiæ tum ad Ephesios IV, tum I ad Corinth. XII nusquam meminit unius summi pontificis, sed solum Apostolorum, prophetarum, doctorum, etc. et solum admonet servare unitatem Spiritus in vinculo pacis: *Quia unum sumus corpus, et unus spiritus*, non autem dixit unus pontifex maximus. Similiter omnes Apostolos Christus æqualiter misit, et dedit eis Spiritum, Joan. XX: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*: omnibus etiam prohibuit habere modum imperandi sicut reges, quod est regimen monarchicum, Luc. XXII: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*: et certe si Christus Dominus unum caput omnibus Apostolis, et Ecclesiæ præficeret non esset causa cur discipuli contenderent: *Quis eorum videtur esse major*: ergo non est reducenda summa potestas Ecclesiæ ad unum, sicut regia potestas ad regem.

XXXV. Confirmatur primo, quia non potest sine miraculo tota Ecclesia per orbem ab uno solo gubernari, cum nec Moyses potuerit unicum populum gubernare solus, ut habetur Exod. XVIII et Numer. XI. Ergo multo minus potest modo Ecclesia ab uno solo capite gubernari. Confirmatur secundo, quia ubi est regimen monarchicum omnes qui sub tali regimine gubernant sunt quasi vicarii regis, et loco ipsius, seu quasi ministri regiminis; sed in Ecclesia episcopi vere gubernant, et regunt Ecclesiam, ut dicit Apostolus Act. XX, et tamen non sunt vicarii papæ, sed potestatem habent quasi jure divino, alias essent solum legati pontificis pro illa Ecclesia, quam regunt, quod est plane falsum; et ideo in capite Nullus, et capite Finali, XCIX distinctione prohibetur: « Ne quis etiam Romanus pontifex universalis pontifex appelletur, quia si esset universalis, cæteri non essent episcopi, » quod desumptum est ex D. Gregorio lib. VII Reg. capite XXX.

XXXVI. Respondetur in illis auctoritatibus negativis non negari unitatem pontificatus, et supremam ejus potestatem in Ecclesia, nam quando Apostolus in illis locis numerat inter Ecclesia partes Apostolos, quos primo loco ponit, ibi indicat supremam auctoritatem apostolatus in Ecclesia, quæ extraordinarie erat in pluribus, ordinarie autem in uno (ut dictum est) Christus autem mittendo omnes Apostolos ut legatos suos non negavit in uno esse potestatem supremam ordinarie. Et quando prohibuit modum imperandi sicut reges terræ, non unitatem capitis prohibuit, nec superioritatem in Ecclesia, sed dominandi ambitionem, et libidinem restrinxit docens ad hoc non esse aliquem superiorem ut dominetur, sed ut ministret, et serviat his, quibus superior existit; expresse enim Chri-

stus in eo loco superioritatem agnoscit in suis dum dicit: *Qui major est in vobis, fiat sicut minister*. Quod autem additur, non posse sine miraculo totam Ecclesiam in orbe diffusam ab uno gubernari, respondetur id esse verum si solus papa haberet curam omnium Ecclesiarum in particulari, et non essent alii episcopi, qui vocati sunt in partem sollicitudinis, per quos singulæ Ecclesiæ reguntur, et si dependenter ab uno supremo episcopo, sicut etiam Moyses non poterat solus totum populum regere quamdiu omnia negotia in particulari audiebat; quando vero reservavit sibi solum majora negotia, et pro expeditione reliquorum constituit tribunos, et ministros, optime potuit totum pondus regiminis ferre, ut constat, Exod. XVIII, et numerorum undecimo. Præterquam quod etiam ab uno major pars orbis gubernata est etiam in regimine politico, sicut patet tempore Augusti Cæsaris, de quo dicitur, Luc. II: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Quid ergo mirum si assistente Spiritu sancto gubernationi Ecclesiæ possit ab uno tota Ecclesia regi?

XXXVII. Ad confirmationem respondetur, non omnes qui gubernant sub uno capite supremo debere esse vicarios, et ministros ipsius monarchiæ, sed sufficit habere auctoritatem dependentem ab illo, et quæ possit extendi, aut restringi ab ipso, possitque causas eorum cognoscere, et si opus sit amovere; sicut etiam in politicis monarchiis, præsertim in Romano imperio multi fuerunt reges, aut principes subditi imperatori, et ipsius feudatarii, non tamen in suo regimine, aut principatu se habebant ut vicarii, aut proreges, vel præsides, sed ut veri reges, aut principes, cum dependentia tamen ab illa superiori potestate,

sicut Herodes rex subditus erat Cæsari Augusto, et multi alii similes inveniuntur. Sic ergo episcopi vere sunt gubernatores Ecclesiarum non ut legati, aut vicarii papæ, sed ut ordinarii, dependenter tamen a papa.

## ARTICULUS IV.

*Ostenditur supremam hanc potestatem esse in episcopo urbis Romæ.*

I. Pars ista articulo præcedenti insinuata, in præsentis tractanda venit, hanc videlicet supremam potestatem determinandi res fidei ita esse in uno, quod ille sit episcopus Romanus, si quidem si in uno esse debet hæc potestas, oportet designare quisnam ille sit; et potest difficultas in præsentis oriri, vel ex communibus, vel ex particularibus: ex communibus quidem procedunt aliqui hæretici quatenus negant posse aliquem hominem determinare res fidei, quia id solum pertinet ad Verbum Dei, et ad Spiritum Dei, non ad auctoritatem alicujus hominis, quæ nos cogere possit ad hoc vel illud credendum; et hæc sunt communia, quia non solum in Romano pontifice, sed in nullo altero homine hanc potestatem esse fatentur, et ita in superioribus jam soluta, et explicata sunt, nec aliquid addendum superest quod peculiarem difficultatem faciat. Ex peculiaribus autem procedere potest hæc difficultas quatenus aliqui negant Petro non esse datam hanc supremam auctoritatem, et potestatem pro se, et successoribus. Alii negant successorem Petri pro universali ista potestate esse designatum Romanum episcopum; alii negant Romanum pontificem errare non posse, sed multos afferunt errores diversorum pontificum, et consequenter non

habere infallibilem auctoritatem determinandi res fidei. Denique alii putant hanc auctoritatem in Romano episcopo non semper durasse, sed extinctam jam esse. Igitur hæc omnia refellenda sunt, ut ostendamus supremam hanc potestatem vere permansisse, et permanere in Romano episcopo, qui non solum illius Ecclesiæ, sed totius Ecclesiæ episcopus est, succedens Petro, tam in episcopatu urbis Romæ, quam in universali Ecclesiæ regimine.

II. Sit ergo conclusio: Romanus episcopus est successor Beati Petri, non solum in episcopatu urbis Romanæ, sed etiam in universali regimine totius Ecclesiæ, ita quod ipse est suprema regula in definiendis rebus fidei, quæ nunquam deficere potest cum ex cathedra docet; duratque hæc potestas quamdiu Ecclesia durabit. Hæc conclusio quantum ad fideles catholicos sufficienter probatur ex definitione Ecclesiæ, quia illa definita est tamquam de fide. Extat in Concilio Florentino in litteris sanctæ unionis ista definitio, per hæc verba: «Definimus sanctam apostolicam sedem, et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum pontificem successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem, et doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.» Item in extravaganti Unam sanctam de majoritate, et obedientia sic determinat Bonifacius VIII: «Est hæc auctoritas etsi data sit homini, et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibi suisque successoribus:» et infra: «Porro subesse Ro-

mano pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.» Videri etiam potest Nicolaus papa in capite Omnes, xxii distinctione, ubi dicit: «Qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur, et dicendus est hæreticus; fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ est mater fidei.»

III. Contra hæreticos autem hæc conclusio per suas partes probanda est, simulque refellenda sunt ea quæ contra Romani episcopi primatum opponere solent. Prima ergo pars conclusionis, et fundamentum cæterarum est Romanum episcopum esse successorem Beati Petri in utraque potestate, scilicet episcopatus Romæ, et apostolatus respectu universalis Ecclesiæ. Quæ conclusio ex duabus præmissis pendet, scilicet ex majori, hanc potestatem datam esse Petro pro se, et suis successoribus, et ex minori quod Petrus hanc successionem alligavit episcopatu urbis Romæ, ex hoc enim infertur evidenter ipsum Romanum episcopum esse successorem Petri in suprema potestate regendi totam Ecclesiam. Igitur major hujus syllogismi non habet difficultatem in eo quod Petro ut singulari personæ data sit hæc potestas, sicut et cæteris Apostolis ad minus, constat enim Paulum habuisse potestatem super omnes Ecclesias juxta id quod ipse dicit II ad Corinth. XI, ad se pertinere sollicitudinem omnium Ecclesiarum; ergo Petrus minorem potestatem habere non debebat saltem ut singularis persona. Et ex ipso munere, seu dignitate apostolatus manifeste deducitur, nam ut optime notat S. Thomas super caput XII primæ ad Corinthios lectione I: «Ad officium

apostolatus omnia pertinent, scilicet auctoritas gubernandi fidelem populum: secundo, facultas docendi: tertio, potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ. In omnibus autem potestatibus ordinatis, illud quod est principale reservatur supremæ potestati, alia vero etiam inferioribus communicantur; potestas autem faciendi miracula ordinatur ad doctrinam secundum illud Marci ultimo: Sermonem confirmante sequentibus signis; doctrina autem ordinatur ad gubernationem populi sicut ad finem, secundum illud Jerem. III: Pascent vos in scientia, et doctrina, et ideo primus gradus inter ministeria ecclesiastica est Apostolorum, quibus specialiter competit Ecclesiæ regimen.» Hæc D. Thomas. Ex quo constat primo ipsi singulari personæ Petri datam esse hanc potestatem, quamvis Apostolus fuit sicut cæteri: secundo autem deducitur id quod est præcipuum in apostolatu, scilicet regimen Ecclesiæ datum esse pro successoribus, idque etiam constat ex his quæ late probavimus in præcedenti articulo ex Scriptura, et patribus. Reducitur ergo difficultas illius propositionis ad probandum quod illa suprema potestas in omnes Ecclesias data sit Petro pro se, et pro suis successoribus, ut perpetuo maneret Ecclesia, hoc enim negat Nilus ille episcopus Thessalonicensis in libro contra primatum papæ, et Calvinus IV institutionum, cap. VI, §. VIII, aliique hæretici. Cæterum ex his quæ præcedentibus articulis ostendimus, non erit difficile hoc etiam demonstrare. Constat enim a Christo Domino institutam esse Ecclesiam, sacramenta, et sacerdotium non solum pro illo tempore, quo Apostoli permansuri essent in mundo, sed etiam pro omni alio tempore. Unde Matthæi ultimo dicitur: *Ecce ego vobiscum sum omnibus die-*